



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

In Cap. Videtur nobis 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

In Cap. Videtur nobis 7.

Sententia hujus Cap. est, quod in causa matrimonii conjungendi vel dissolvendi propter consanguinitatem & affinitatem admittantur prius omnium parentes, & his deficientibus proximiores cognati. Quod à melius explicatum est *sup. cod. ad Rubr.* Sed quaerunt U. d. an idem juris sit quoad probationem contractus matrimonialis? Negat hic Bernard, in *V. sciunt.*

At Butr. & Host. quos citat & sequitur Panorm. hic, contra existimant *per hunc text.* dum inquit, parentes solere interesse hujusmodi contractui, quod eorum interest. Quare Panorm. post Hostiensem hac distinctione utitur, quod aut sponsus superior est sponsa divinis aut nobilitate; hoc casu suspectum dicit matrimonium esse per testimonium parentum in causa filiae suae.

In Cap. Infuper adjecisti 4.

SUMMARI A.

1. Matrimonium metu contractum est nullum.
2. Metus iste qualiter purgetur
3. Minor 25. annis an adversus matrimonium restitui possit?
4. Mulier minor decepta circa dotem recte restituitur.

Certi juris est, matrimonium per metum contractum esse ipso jure nullum, *per text. in c. Cum locum 14.* Et ibi latius dixi *sup.* De

2 *sponsal.* † qui tamen metus duobus modis purgatur, aut per voluntariam cohabitationem, aut per voluntarium concubitum, *c. Ad id 21. sup. De sponsal.* Quod fit, ut adversus hoc matrimonium, in quo quis merum antea passus est vel passa, jam purgato metu amplius audiri non debeat, *per h. text. nostr. in c. 4.*

3. Ceterum quaestio est, An minor viginti quinque annis adversus matrimonium restitui possit, forte quia se laesum dicit, eod quod pauperem pro divite duxerit, vilem pro nobili, corruptam pro virgine? Movet dubium textus in *l. 2. C. Si tutor vel curator interveniat*, quo restituitur minor, ex quacumque causa laesus sit. Idem testatur *tit.*

D. De minorib. 25. annis. Sed vetius est, minorem restitui non posse, quia se laesum probare non potest, quod necessum est, ut quis in integrum restitatur, *l. Nam postea 9. D. De jurejur.* At in matrimonio nulla laesio dari potest, cum matrimonium res spiritualis sit, ac proinde nullam estimationem recipiat, *c. fin. in fine sup. De rer. permutat.* Deinde matrimonium naturam suam indissolubile est, *can. Puto, can. Si uxorem, c. Praecipit & can. Praeceptum xxxii. q. 5. c. Gaudemus 8. inf. De divort. Conc. Trid. Sess. 24. in doctrina de Sacram. matrim.* Tertio in rebus spiritualibus habetur minor pro majore, *c. fin. De judic. lib. 6.* Quare minor xxv annis restitutionem in integrum adversus matrimonium à se contractum petere non potest.

Illud jure permissum est in muliere minore, ut si haec decepta fuerit circa dotem, ut quia dotis nomine plus numeravit, vel constituit, quam maritus merebatur, recte eam vel ejus heredem restitutionem in integrum petere posse, *per text. in l. unica C. Si adver. dotem restit. possul.* Quamvis enim dos sine matrimonio consistere non possit, non est tamen res spiritualis, sed temporalis: ideoque in eam admittitur in integrum restitutio.

In Cap. Significante 7.

Hoc Cap. rejicitur accusatio matris, quae ut extorqueret pecunias à marito filiae suae, accusationem matrimonii ipsi intentabat, allegando scilicet impedimentum consanguinitatis, affinitatis, sive aliud inter ipsos conjuges. Rejicitur, inquam, propter turpem quaestum, *l.*

Qui accusare 8. circa fin. D. De accusat. & ut malitia matris occurratur, per hunc text. & in l. In fundum 39. D. De rei vind. utrobique dicitur malitiam non esse indulgendum. Idem observandum est in omni accusatore, ob easdem rationes.

In Cap.